MEMORABILIA

SOCIETATIS IESU

MENSE NOVEMBRI 1940

AD USUM NOSTRORUM TANTUM

ROMAE
APUD CURIAM PRAEPOSITI GENERALIS
1940

NOTANDA

1. *Duo fasciculi praecedentes, mensibus ianuario et martio 1940 editi sed paucis tantum exemplaribus Romae machina rotatoria multiplicati, ad singulos PP. Provinciales et Superiores Missionum missi fuerunt, ut ipsi illos nuntios aliqua ratione cum suis communicarent. Postea tamen alibi typis editi sunt numero sufficienti pro omnibus Societatis Domibus. Statim ac fieri poterit, hi fasciculi ad illas Provincias et Missiones, quae eos nondum acceperunt, ex officio mittentur.*

2. *Cum P. Iosephus Mundò, Redactor Memorabilium, in Provinciam suam Aragoniae reversus sit, omnia quae ad Memorabilia spectant, interim agantur cum P. Secretario Societatis, qui etiam certior reddatur de omissionibus et mendis in elencho Nostrorum defunctorum certo certius occurrentibus.*

N. 3. MENSE NOVEMBRI 1940

MEMORABILIA SOCIETATIS IESU

Ad usum Nostrorum tantum

RES ROMANAE

De celebratione IVi Centenarii Societatis. — Exeunte anno superiore, litteris ad omnes Provinciarum Praepositos die 31 decembris 1939 datis, Pater Noster statuerat ut celebratio quarti centenarii retardaretur et in hunc annum remitteretur, « a die nempe 27 septembris 1940, quo die ipsum quartum centenarium completur, ad 27 septembris 1941 computandum » (*Act. Rom.*, vol. IX, 1939, pp. 432 sq.). Itaque, quamquam tempora tranquilliora, quae tunc auspicari audebamus, adhuc longe absunt, non licuit illum diem 27 septembris 1940 praetergredi quin faustam commemorationem aliqua saltem ratione iniremus; eo magis quod Summus ipse Pontifex Pius XII, pro sua erga Societatem paterna benevolentia, per pulcherrimas Litteras Apostolicas « Nosti profecto » die 6 iulii huius anni datas iam catholico orbi declaraverat domesticam illam nostram laetitiam, « quamvis in praesens tot aerumnosis trepidisque rebus quasi tristitiae caligine obtendi *visam*, aeque tamen gaudium *esse* universae Ecclesiae ».

Et sane post sollemne illud Pontificiae dilectionis documentum, ephemerides et periodici libelli (etiam nonnulli e non catholicis) de Societate eiusque centenario late disserere coeperunt: nominatim « L'Osservatore Romano » amplam articulorum seriem edidit, quibus « le glorie della Compagnia di Gesù » singillatim illustrabantur. Item exinde coepit pulchra illa aliorum Ordinum et Institutorum Religiosorum caritatis aemulatio, ad octobrem usque mensem producta, qua certatim per suos Superiores Maiores, aut Patrem Nostrum coram invisendo aut perbellis ad eum datis litteris, fraternos gratulationis sensus erga Societatem exprimere avebant. Hae autem litterae, quas quidem ex ordine ad mensam legebamus, mirum quantum in grati animi testificationem convenirent de auxilio a Societate sibi praestito sive in recentioribus Religiosis Familiis instituendis sive in Constitutionibus redigendis sive in suorum alumno-

lebrare non potuerant. Breves sermones, poëses, acclamationes et cantus Pater Noster, adstantibus cum Scholasticis, praeter totam Curiam Generaliciam, etiam compluribus Domorum Romanorum Superioribus et Sociis, gratus excepit, et dilectis Filiis, dum gratias ageret, commendavit ut maxime interiorem vitam spiritualem in se usque fovere curarent, quia Societas, Ecclesia, humanum genus Sanctis potissimum indigent.

Causae Nostrorum VV. et BB. — Die 26 iunii h. a. Summus Pontifex dignatus est signare Commissionem Introductionis Causae Servi Dei Patris Iacobi Berthieu (prov. Tolos.), qui die 8 iunii 1896 apud Ambiatibe in Insula Madagascar martyrio coronatus dicitur.

Collegium Germanico-Hungaricum, quod, ut alias diximus, sedem suam veterem in via Sti. Nicolai a Tolentino demolitioni tradere coactum est, novi aedificii ibidem exstruendi lapidem auspicalem posuit die 27 aprilis. Ei pridie benedixerat Summus Pontifex. Em.mus autem Card. Pizzardo, Praef. S. C. de Sem. et Stud. Univ., eum sollemni caerimonia collocavit. Aderat Pater Noster cum PP. Assistentibus Italiae, Germaniae et Slavico; Rectores domorum romanarum et Professores aliqui Univ. Greg. et Inst. Bibl. et Orient., aliique viri praeclari religiosi et saeculares. Em.mus Cardinalis fervida contione, alumni Collegii Germanici concinnis canticis caerimoniam compleverunt.

Paucis ante diebus 150 operarii, qui in hanc demolitionem et reconstructionem incumbunt, in proximum templum Sti. Nicolai ante et post laborem diurnum conveniebant, ut contionem P. Raphaëlis Bitetti audientes, se ad Communionem paschalem disponerent, quam die 30 martii magna sollemnitate et gaudio acceperunt.

Dies mundialis Congregationum Marianarum, de quo in numero praecedenti (pag. 19) locuti sumus, ubique magno fervore celebratus est. Per stationem « Radio Vaticana » quattuor datae sunt conferentiae speciales. In Urbe Sodales diversarum CC. MM., prima vice simul adunati, solemnitates celebrarunt; Dublini 2100 Sodales nostrae ecclesiae S. Francisci Xaverii (inter quos 1400 operarii) publicae processioni interfuerunt; Matriti, Supremus Dux ipse Sodalis B. M. V., misit ducem generalem Moscardó ut Caput Gubernii repraesentaret in Missa solemni et in Academia Mariana, ubi Minister publicae Instructionis conferentiam habuit. (Plura de hoc argumento legi possunt in Nuntiis Secr. Centr. CC. MM. No. 6 oct. 1940).

ASSISTENTIA ITALIAE

Generalia. — Vi Concordati die 11 februarii 1929 inter S. Sedem et Italiae Regnum initi, clerici « in sacris » et religiosi qui vota emiserunt exempti sunt a militia agenda, excepto casu convocationis generalis; in quo casu sacerdotes (qui non dispensati sunt ob curam animarum) munus cappellani militaris, servata quidem veste ecclesiastica, exercebunt; reliqui clerici et religiosi ad servitium sanitatis praecipue destinabuntur. Usquenunc convocatio generalis non proclamata est, ita ut ex NN. iuvenibus nullus stipendia bello mereatur; attamen fere 40 Sacerdotes nostri ex variis Provinciis nominati sunt Cappellani militum. Ex eorum relationibus constat eos magno cum fructu huic ministerio incumbere, cum ubique tum militum tum officialium animos inveniant optime erga Sacerdotes dispositos.

Libellus aureus. — Ita appellari potest libellus « *Pensaci bene* », mole quidem exiguus, rerum autem pondere gravissimus, a P. Dom. Mondrone (Neap.), Scriptore periodici « La Civiltà Cattolica », conscriptus. Paginis 32 continet brevissimas meditationes 15 praecipuas preces Christiani. Tanta aviditate exceptus est et tam copiose inter animas sibi commendatas distributus, ut a mense iunio 1938, quo primum venit in lucem, septem habuit editiones simul numerantes exemplaria 410.000!

Neapolitana. — Opus « **Ritiri di Perseveranza** » (Coetus hominum speciatim ad Communionem mensilem fovendam) maximos fructus affert in tota Italia Meridionali. His ultimis 3 annis, per indefessum laborem Patris Armandi Jué, erectae sunt 45 sectiones paroeciales, in quibus singulis mensibus distribuuntur usque ad 10.000 S. Communiones solis hominibus. Parvum manuale practicum pro reunione mensili (« Tutto in breve ») iam numerum 40.000 exemplarium attingit. Undequaque Episcopi et Parochi petunt ut apud se sectiones erigantur.

Malta. — E nuntiis recentissimis novimus omnes Nostros in insula Melitensi bene valere, et Collegium nostrum S. Aloisii Gonzaga quam plurimos habere alumnos.

Taurinensis. — In **certamine de Doctrina Christiana,** quod singulis annis in tota Italia habetur inter Iuvenes Actionis Catholicae, membra-candidati Circuli A. C. nostri Genuensis Collegii, per duos annos continuos praemium totius regionis Liguriae abstulerunt. Die 10 novembris p. e. cum 5000 iuvenibus ex tota Italia, Romam vene-

runt ut ex manibus ipsius Summi Pontificis « vexillum », numismata et diplomata acciperent.

Pia Unio pro Vocationibus. — Prov. Taurinensis libellum edidit sub titulo « La preghiera più bella », invitando Societatis amicos, saeculares et religiosos, ad preces fundendas pro vocationum incremento et praestantia. Huius libelli lectoribus proponitur ut piam unionem ineant, prorsus spiritualem, cuius tota vis esset in precibus, sacrificiis, laboribus offerendis ad illum scopum consequendum.

Haec tam necessaria esse ostendebantur, tam facilia, tam ipsis rogantibus utilia, ut plurimi christifideles, multaeque familiae religiosae, rescriberent, se piae unionis membra profitentes et libelli exemplaria ad illam propagandam petentes. Libellus « Agli Amici », quem singulis mensibus ea Provincia suis benefactoribus et amicis distribuit, totus mense iunio 1940 huic piae unioni fovendae dicatus est et praeclaras litteras continet Patris Nostri et R. P. Provincialis. Hic gratias agit communitatibus, clericis, aegrotantibus, matribusfamilias, familiis ipsis piam unionem amplectentibus. Gratias agit, inquam, nomine iuvenum hoc modo in viam perfectionis adductorum, animarum quae per eos in viam salutis venient et ipsius SS. Cordis, quod tanto desiderio ardet operarios mittendi in messem Patris Caelestis. Pater Noster in sua epistola piae unioni benedicit, « Operi vere apostolico a Spiritu Domini suscitato », quod finem suum certe adipiscetur, siquidem viam orationis persequitur, quam divinus Magister nobis ineundam praecepit.

Veneto-Mediolan. — In festo S.ti Thomae Aquinatis h. a. Scholastici Gallaratensis Instituti Philosophici « Aloisianum », **solemnem disputationem** habuerunt coram Exc.mo Card. Schuster. Post doctam dissertationem de specifica unitate generis humani, exponebantur et contra obicientes defendebantur variae theses (de iure nat. et positivo, de familia, de relatione inter Statum et Ecclesiam), quarum materia desumpta erat ex prima Encyclica Pii Pp. XII « Summi Pontificatus ». Tota haec solemnitas instituta erat in commemoratione primi anniversarii Electionis Summi Pontificis, qui hac de re certior factus amplam benedictionem suam praemittere dignatus est.

Professores eiusdem Collegii inceperunt novam seriem librorum de philosophia agentium, sub titulo: « **Archivum Philosophicum Aloisianum** ». Primum volumen editum est a R. P. Dezza Rectore Collegii: « Alle Origini del Neotomismo », in quo narratur historia renovationis scholasticae in Italia. Paratur secundum volumen « Ontologia » ex manuscripto a P. Sordi anno 1829 confecto.

ASSISTENTIA GERMANIAE

Generalia. — Maiorem partem Dom. Prob. in Mittelsteine, qua utebantur Prov. Germ. Orient. et Austr., vacuam Gubernio relinquere N. N. debuerunt, ut Germanos cives exciperet e Bessarabia et Bucovina a Russis dimissos. Eidem fini destinatae sunt Domus Exercitiorum in Zobten et Rottmannshöhe. Novicii utriusque Provinciae in Domum Exerc. Hoheneichen transierunt. — E Fratribus nostris in acie versantibus duo Scholastici et unus Novicius bello ceciderunt. Praeter quos vulnerati sunt Scholasticus unus graviter, plures leviter; sed iam omnes bene valent. Patres fere ubique multiplici modo in apostolatum incumbunt.

Hungaria duabus Residentiis Satmarinensi et Claudiopolitana aucta est, cum pars Transylvaniae a Romaniae ditione in Hungaricam transiit.

In **Lituania** a Russis occupata Nostrorum positio longe difficilior facta est: omnes domus enim publicatae sunt. Patres vero in suo quisque loco perseveraverunt, ad omnia prompti quae divina Providentia eis contingere sinet. P. Bružikas (Recol. theol. in Dom. Prob.) incarceratus est; Patres vero natione germani e Lituania discedere debent. Labores apostolicos extra templa peragere non licet, sed intra eorum moenia interim tolerantur. Periodica religiosa nulla prodire possunt, quare neque nostra Zvaigždé et Misijos.

E **Lettonia** et **Estonia** nuntii vix iam adveniunt. Plurimi Patres alienigenae, etiam Superior Missionis R. P. Const. Kolfschoten (Neerl.), exsulare coacti sunt; ita ut in Lettonia soli tres Patres Lettones et unus Neerlandicus (P. Peeperkorn), et in Estonia EE. DD. Profittlich cum paucis Patribus remanserint. Recenter P. Sup. Borucki discedere debuit. P. Milner (Angl.) feliciter in Palaestinam advenit, unde si fieri poterit, in Sinas transibit ad 3am Probationem agendam.

Prov. Neerlandiae in tot tantisque periculis mira sane Dei protectione custodita est. Omnes Nostri in patria commorantes immunes evaserunt. Duo Patres Tertiani (PP. Henricus de Groot et Adrianus de Kort) qui, profugi e Domo Trunciniensi in Galliam, inde in Missionem Bataviae navigabant, in itinere maritimo perierunt. — Omnia Provinciae aedificia intacta manserunt, excepta Domo Exerc. Spaubekensi, quae dum pons vicinus dynamite abrumpitur, damna

subiit. Ne Residentia quidem Rotterodamensis eiusque templum, licet tres partes paroeciae (38 viae) devastatae sint, ullum damnum subierunt. — Domus Probationis Vallis B. M. V. militibus germanicis per aliquot hebdomadas tectum praebuit, ita ut Novicii in Domo Exerc. Vughtensis perfugium quaererent. Sed iterum in propria Domo pacifice commorantur. — Cum PP. Tertiani extra patriam mitti non possint, Tertiam Probationem, sub Instructore P. Petro Heymeyer in Neomagensi Collegio NN. S.ti Ioannis Berchmans agere coeperunt. — Novum Coll. Max. Traiectense per plures menses vulneratis militibus hospitium praebuit; Venlonensis Dom. Exerc. occupata manet.

ASSISTENTIA GALLIAE

Generalia. — Omnes Provinciae Assist. Galliae, praesertim Tolosana et Lugdunensis, nullis sumptibus et incommodis pepercerunt, ut eos omnes qui ex Belgio et ex aliis Galliae regionibus abire coacti sunt, hospitio exciperent, nutrimento, vestibus, rebus omnibus necessariis reficerent et consolarentur. Ita v. g. Coll. Max. Valsense (Tolos.) tectum praebuit 60 e NN. e Belgio profugis. In quibusdam cubiculis plures una versabantur. Etiam PP. Arnou, Galtier et de Guibert, ex Universitate Gregoriana, huius domus incolae erant. Ibidem versatus est per aliquod tempus R. P. Norbertus de Boynes, Assist. Gall., sed cum morbus quo per aliquot iam hebdomadas laborabat, gravior in dies fieret, Lugdunum reversus est, ut chirurgicam operationem primam subiret, quam ineunte novembri secunda sequebatur. Omnia faustum exitum promittebant, quando pulmonis morbo accedente et viribus inopinate ad extremum debilitatis, die 6 novembris R. P. du Bouchet, Praep. Prov. Lugd., Ultima Sacramenta aegrotanti ministrabat. Mox tamen melius se habere cepit, et secundum ultimos nuntios corporis vigorem gradatim recuperat.

De Nostris qui stipendia meruerant pauca nobis comperta sunt: fere 200 scimus adhuc in custodia retineri, de 4 nuntium nullum haberi et timendum esse ne mortui sint. E Prov. Campaniae occubuerunt in bello 3 PP. et 4 Schol.; e Prov. Franciae: 2 PP. et 7 Schol.; nullus e Prov. Tolos. et Lugdun. — Periodicum « *Etudes* » nondum (initio octobris) reapparuit. Coetus Scriptorum operis « *L'Action Populaire* » Lugduni nunc degit et conatur folia aliqua in lucem edere. Omnia periodica Tolosani *Secr. Nat. Apost. Orat.*, licet minuto volumine, publicari non desierunt. — Domus formationis NN. ita nunc ordinatae sunt: remanent *Noviciatus* quattuor,

in quibus praevidebantur novi Novicii 6 pro Prov. Camp., 12 pro Franc., 20 ad 25 pro Lugd. et 10 pro Tolos. *Iuniores* omnes simul student in aedibus Coll. Mongrensis (Lugd.); *Philosophi* omnes in Coll. Max. Valsensi (Tolos.), *Theologi* in Coll. Max. Lugdunensi; duo habentur *Tertiatus,* Ambianensis (Camp.) scil. in Domum Exerc. La Barde (Tolos.) translatus, et Narediensis (Lugd.) in Coll. Mongrense.

Prov. Campaniae, belli impetu perculsa, undequaque quassata iacet. Omnia fere opera destructa sunt, et circiter 110 PP. et FF. dispersi in aliis Assistentiae Provinciis vivunt. Collegium Ambianense (Amiens) funditus eversum est; aliae domus varia damna passae sunt vel bonis suis spoliatae. Ex domibus Alsatiae omnes expulsi sunt, quorum nonnulli post captivitatem septem hebdomadum, tandem Lugdunum pervenerunt. In urbe Insulana (Lille) Collegium scholas incepit cum 300 alumnis, Collegium Remense (Reims), partim igne dirutum, partim a vulneratis occupatum, in aedibus privatis scholas pro 250 alumnis instituit. Resid. Divionensis (Dijon) et Trecensis (Troyes) turbatae non videntur. Fere 50 PP. sive in Seminariis sive in paroeciis clerum saecularem magna Episcoporum satisfactione adiuvant.

Prov. Franciae. — Licet collegia fere omnia a militibus vulneratis partim saltem occupata sint, scholae tamen medio mense septembri initium habuerunt. Aedes Collegii Ebroicensis (Evreux), undique globis igneis circumdatae, mirabili modo incolumes servatae sunt; Domus vero Exerc. Mourensis, quindecim globulis iniectis, magna damna passa est; sed dum haec reparantur, iam cursus Exercitiorum iterum incepti sunt. Etiam in Dom. Exerc. Andegavensi (Angers) et Clamartensi modo consueto Exercitia dantur. In Coll. Max. Jerseiensi remanent pauci PP. et FF.

Prov. Lugdunensis, mirabili divinae Providentiae protectione, belli causa minima damna passa est. Nullum e suis perdidit, et inter 200 captivos ad Ass. Gall. pertinentes 30 tantum sunt ex hac Provincia. In parte Provinciae non occupata, Collegia omnia cum maiore numero alumnorum scholas inceperunt, excepto Coll. Mongrensi quod, ut dictum est, Noviciis, Iunioribus et PP. Tertianis hospitium praebet. In regione occupata, Isorensis Dom. Prob. (Yzeure), Narediensis Dom. 3 Prob. & Exerc. (Paray-le-Monial) et Collegium Dolanum (Dôle) pro parte tantum liberae dispositioni Nostris relicta sunt; Coll. tamen Dolanum scholas incepit cum 200 alumnis. Ex periodicis Provinciae, « En Terre d'Islam » apparere non cessavit, « Jésuites Missionnaires » mox iterum apparebit.

Tolosana. — Ex iis qui de hac Provincia stipendia meruerunt, omnes sospites regressi sunt, praeter Fr. Schol. Chr. d'Armagnac qui crus dextrum amputatione perdidit et Fr. Bern. Fort cuius brachium dextrum globulo vulneratum est. 44 adhuc captivi detinentur. — Domus formationis NN. modo consueto vitam agunt; in Dom. Prob. B. M. V. ad Montem adsunt 15 Schol. Nov.; Coll. Phil. Valsense 110 suos Scholasticos vix continere potest; in Dom. Exerc. La Barde 24 Tertiani in Schola affectus se ad vitam apostolicam parant. — Collegia omnia scholas cum magno numero alumnorum inceperunt, etiam Coll. Burdigalense (Bordeaux), quamquam a 300 hospitibus occupatur. — In Missionibus ruralibus dandis, nostri operarii strenue cum aliis Religiosis cooperantur, v. gr. in dioecesi Tarbiensi & Lourdensi, in cuius paroeciis singulis, petente Episcopo, Missiones dantur usque ad Festa Paschalia. — PP. C. Boyer et P. Galtier, ex Universitate Gregoriana, pro tempore agunt Superiorem et P. Spiritualem in Convicto Clericorum studentium in Instituto Catholico Tolosano.

ASSISTENTIA HISPANIAE

Generalia. — Gubernium concessit insignia Ordinis Equestris Elisabethae Catholicae aliquibus Missionariis, in quibus numerantur decem e Nostris.

In nonnullis e magnis urbibus cura Nostrorum inceptae sunt, vel post Revolutionem instauratae, scholae gratuitae pro pueris pauperibus in suburbiis degentibus. Inter eas de quibus nuntii ad nos pervenerunt notari possunt: Scholae Sancti Ioseph (Valencia, cum 800 alumnis), Scholae Domus Socialis (Valladolid, cum 700 alumnis, ab Exc.mo Episcopo laudibus elatae), Scholae « La Gran Madre » (Sevilla), Scholae « Jesús Pobre » (Málaga, pro pueris pauperrimis), Scholae Dominae Nostrae a Monte Carmelo (Málaga, cum 300 alumnis). His addendae sunt aliae quarum Nostri habent saltem directionem generalem, ut scholae variae a Sodalibus Congregationis Marianae Barcinonensis moderatae (cum 1300 alumnis), et « Scholae » sic dictae « Catholicae », Matriti anno 1870 inceptae, in quibus religiosam institutionem receperunt circiter 500.000 pueri.

Vocationes ad Societatem in dies crescunt, adeo ut Novicii Scholastici Prov. Legionensis circa numerum nonagesimum attigerint.

Mense iulio habitus est Matriti Congressus quidam nostrorum Directorum Congregationum Marianarum. Convenerunt PP. Provin-

ciales quinque Provinciarum Hispanarum et 83 Directores. Ultimae sessioni adfuit Exc.mus Nuntius.

Baetica. — Granatae die 14 mensis iulii ordinatus est Sacerdos primus iesuita indigena ex Insulis Carolinis, P. Paulinus Cantero.

Castellana. — Duplex Universitas nostra Deustensis (Bilbao), Iuridica scilicet et Commercialis, a Revolutione suppressa, denuo instaurata est.

Legionensis. — Cura et labore Patris Victorini Feliz statutum est in regione Asturicensi (Asturias) opus « Apostolatus Socialis Catholicus », ad Exercitia Spiritualia praebenda opificibus qui in fodinis et aliis ministeriis laborant. Circiter 2.000 opifices speratur hoc anno 1940 Exercitia peracturos.

Die 6 nov. h. a. sollemniter inauguratae sunt Facultates S. Theologiae et Iuris Canonici Pontificiae Universitatis Ecclesiasticae Salmanticensis, nuper a Sancta Sede restauratae. Inter Professores numerantur tres Patres Societatis Iesu: Theol. dogm.: P. Severinus González (Leg.); Theol. mor.: P. Aurelius Yanguas (Cast.): Hist. eccl.: P. Richardus García Villoslada (Cast.).

Lusitana. — In pago Fatima, ob apparitionem B. Mariae Virginis insigni, mense aprili 20 Episcopi Lusitani, de quibus tres Missionarii, praeeunte ipso Em.mo Cardinali Patriarcha Lisbonensi, Exercitia Spiritualia peregerunt, sub ductu Patris Isacii Morán (Leg).

Toletana. — Proximo die festo Christi Regis (27 oct.) incepta sunt in Colle S.tae Mariae ab Angelis (vulgo: « Cerro de los Angeles », prope Matritum) opera ad denuo et magnificentius multo instaurandum Monumentum Nationale Sacratissimi Cordis, a Communistis destructum. Exc.mus Episcopus Matritensis, horum operum molitor et promotor, designavit Directorem Generalem et sui delegatum, ad ordinandos omnes actus cultus, divulgationis, electionis personarum, etc., Patrem Alphonsum Torres (Prov. Baet.).

ASSISTENTIA ANGLIAE

Prov. Angliae. — Ex ipsa Anglia perdiu vix quidquam ad nos referri potuit. Nunc per R. P. Dugré, Assist. Angliae, qui ab initio mensis iunii in Dom. Prob. Londinensi (Roehampton) degit, certiores facti sumus globulum aereum istam domum tetigisse, Scholasticum Iuniorem unum occidisse atque alterum Iuniorem et Coadiutorem unum vulnerasse. Iam antea, typographia nostra Man-

resana a globulis in horto explosis magna damna passa erat. Nunc fere tota communitas dispersa est, partim in Coll. Max. Heythropense, partim in Dom. Exerc. apud Bothwell. Residentia Londinensi propter similes rationes dispersa, Curia Provincialis in Heythrop translata est. P. Goulet (Praes. Secr. pro Miss.) et Fr. Amanuensis Ios. Auger e Roehampton profecti sunt pro parte septemtrionali Angliae; Fr. Connolly vero (Amanuensis in Secr. pro Miss.) auxilio est in Collegio Stonyhurst. Ibidem aedes « St Mary's Hall », antiquum Coll. Phil. NN., nunc habitantur a Seminaristis Collegii Anglici Urbis. — Nostra Collegia alumnorum in ipsa civitate Londinensi gravibus laborant difficultatibus; cetera omnia modo consueto in labore pergunt. — P. Vinc. Gallagher, cappellanus militaris pro quo suffragia iam petita erant, vivit captivus in Germania.

Can. Inf. — Omnia Collegia augmentum alumnorum notant. Vocationes sunt numerosiores quam unquam antea. Ingressi sunt 30 Nov. Schol. et adsunt 25 Nov. et Postul. Coadiutores.

Belg. Mer. et Sept. — Cum primum coepit Belgium ab hostibus occupari, ipsi Regni Moderatores rogarunt ut viri omnes, qui aetatem ad servitium militare aptam agerent, e regione discederent. Huic consilio obtemperantes, omnes Novicii et Scholastici cum nonnullis Superioribus et Professoribus, Galliam versus properarunt, magno incommodo et paupertate, ut facile intelligitur, et eheu non sine sanguine. Quattuor enim sacerdotes, unus Scholasticus et tres FF. Coad., varias ob causas, in itinere mortem invenerunt. Cladem ingentem accepit Schol. Apostolica Verviensis, cuius 13 alumni, Magister Schol. unus et Fr. Coad. in via prope Cambrai globulis ex armis automaticis inopinate occisi sunt, dum ipse Scholae Superior glande percussus crure orbatus est. — Reliqui omnes sospites ad Nostros Assistentiae Galliae pervenerunt sedemque locarunt variis in domibus Provinciarum praesertim Tolosanae et Lugdunensis, quarum caritas in tanto hominum concursu tantisque loci, supellectilis, victus angustiis, dignis verbis efferri vix potest. Pro sociis belgicis extra patriam disseminatis nominati sunt duo Viceprovinciales, sub quorum ductu studia et probationes, ubi fieri potuit, instaurata sunt. Mensibus autem augusto et septembri omnes paulatim in patriam regressi sunt. Ad aedificia quod attinet, Coll. Verviense magna ex parte globis ignivomis dirutum iacet; templum Mechliniense iam prima invasionis die, igne combustum est; dum Eegenhovense Coll. NN. Phil. cum pretiosa bibliotheca, physicae musaeo, ceterisque omnibus laboris et vitae instrumentis, flammis consumptum interiit. Coll. vero Turnholtanum, nuper ex ferro et caemento constructum, plus quam 400 globis igneis fere illaesum re-

stitit. Nonnullae domus utriusque Provinciae, inter quas Coll. Bruxellense S.ti Michaelis, Dom. Prob. Trunciniensis e. a., a militibus nunc occupantur; sed hoc non obstante, ubique scholae continuantur, etiam ubi opus est in aedibus privatis. Ex iis (fere 200) qui stipendia meruerunt, nullus obiit (si excipias unum Cappellanum militarem P. Leonardum van Malderen), sed plerique, licet inermes infirmis inservientes, in manus hostium venerunt, et abducti sunt; nunc autem omnes praeter 30 libertate sunt donati.

In media tamen tribulatione Deus desolatas Provincias protegere non cessat, quod abunde patet ex eo quod in Prov. Belg. Merid. 24 iuvenes, in Prov. Belg. Sept. autem 34 Noviciatum ingressi sunt.

ASSISTENTIA AMERICAE

Generalia. — R. P. Zachaeus Maher, Assist. Americae, qui mense septembri 1939 Assistentiam suam adivit, sedem fixit in Dom. Prob. Poughkeepsie (Maryl.), ut ibi negotia occurrentia nomine P. N. tractaret. Ab initio autem huius anni incepit varias Provincias peragrare et Domus invisere, quod illis valde gratum necnon utile est. Litterae tamen pro R. P. Maher semper mitti possunt ad « St Andrew-on-Hudson, Poughkeepsie, N. Y. », unde P. Rector Ioann. Killeen, carissimus noster antiquus Substitutus pro Ass. Amer., eas libenter transmittet.

Servitium militare. — Primum schema novae legis, qua civibus americanis hoc servitium praescribitur, non praevidebat « exemptionem » pro ministris religionis. Instantibus tamen auctoritatibus ecclesiasticis, ita lex emendata est ut omnes religionis ministri sensu valde lato (etiam omnes Novicii et FF. Coadiutores) a servitio hoc liberi erunt. In omnibus tamen Assistentiae Provinciis iam parantur Patres nonnulli, qui munus cappellani militaris sponte assument.

Scholae aestivae pro Actione Catholica. — Abhinc decem annos Secr. Nat. CC. MM. S.ti Ludovici prima vice « Conferentias » vel « Scholas Aestivas » pro Actione Catholica instituebat. Haec utilissima institutio maiora in annos incrementa cepit, ita ut hoc anno 1940 Scholae datae sunt in quinque maioribus urbibus coram 7000 auditores.

Missouriana. — P. Franc. P. Keenoy, Prof. Chimiae in Kansanopolitano Collegio et eius frater geminus P. Lud. T. Keenoy, Prof. eiusdem disciplinae in Denveriensi Collegio, in recenti conventu Associationis Nationalis Scientiarum in urbe Chicago, demonstrabant

effectum mirabilem novi alicuius liquoris ab ipsis compositi, cuius ope glacies, frigida 40 graduum, colliquescit. Facile intellectu est hanc inventionem, si facili usui accommodari poterit, ita ut impediat ne aqua usque ad frigus 40 graduum congeletur, magnae utilitati fore pro velivolis, pro curribus automobilibus, etc.

Oregoniensis. — Hoc anno celebrabitur primum Centenarium P. Petri De Smet, (oriundi e Dendermonde in Belgio), qui anno 1840 primum iter apostolicum occidentem versus incepit. In eius honorem erigetur, partim expensis Status Wyoming, partim eleemosynis colligendis, monumentum memoriale altitudine 12 pedum, pondere 12000 kg.

ASSISTENTIA SLAVICA

Nuntii recentiores ex utraque Provincia Poloniae. — Plusquam 100 Nostrorum **in carceribus vel campis** adhuc retenti sunt. Nonnulli eorum in vinculis iacent a mense novembri 1939; alii mense februario, aprili vel maio h. a. abducti sunt. Paucissimi sive ob aetatem provectam sive ob debilem statum valetudinis, liberati sunt. Recenter tres Patres in campo obierunt: in Oświęcim die 3 sept. P. Ios. Cyrek (Pol. Min.), Secr. Gen. Cruc. Euch. in Polonia, et die 9 sept. P. M. Morawski (Pol. Min.), Prof. theol. dogm. in Univ. Jagell. Cracoviensi; in Mauthausen, P. Węgliński (Pol. Mai.), ante quinque annos Societatem sacerdos ingressus. — P. Kałuża (Pol. Min.) vero, de cuius morte rumor iam sparsus est, vitam degit in campo Oranienburg.

Communitates Nostrorum iuvenum: *Novicii* Pol. Mai., e Dom. Prob. Pinscensi initio belli dispersi, primum pedem fixerunt in pagum Varsaviae vicinum; novissime translati sunt in Dom. Prob. Staraviesiensem ubi cum Noviciis Pol. Min. coniuncti vivunt. Vocationes sunt paucissimae: v. g. in Pol. Mai. nomen Societati dederunt: Sacerdos unus, Schol. unus, et Coad. unus. — *Iuniores* primi anni Staraviesiae, secundi anni Varsaviae in Domo Scriptorum student. — *Tertia Probatio* in duobus locis Pol. Min. peragitur.

Nuntii de NN. sub occupatione Russorum. — Quamvis variis in locis Nostri domicilio proprio spoliati sint, labores tamen apostolicos in ecclesiis strenue sustinent. Hos labores enim Russi interim non impediunt violenti manu, ast mediantibus gravissimis vectigalibus aliisque difficultatibus adiectis, ad id tendunt ut templa claudantur, quod hucusque liberalitate fidelium non evenit. *Kocha-*

winae, ipsis ruricolis id expresse petentibus, auctoritate vero russa id tolerante, docetur a NN. doctrina christiana in scholis. Sup. *Resid. Kolomyjensis*, P. Casimirus Kozłowski, cum 2 PP. et 1 Fr. Coad., et P. Chabrowski e *Resid. Tarnapolitana*, mense maio in Russiam deportati sunt. In *Coll. Vilnensi* Nostri usque nunc remanere potuerunt; sed a die 1 sept. directio gymnasii et lycei Nostris adempta est. Novissime P. Kucharski, Prof. Coll. et Moder. Congr. Mar. iuven. stud. in Univ., in Russiam deportatus est. Aliquot Scholastici et Coadiutores, qui fines Poloniae a Germanis occupatae petere volebant, a Russis capti et in Siberiam vel alibi missi sunt; tres dicuntur obiisse, sed accuratae de iis notitiae desunt.

Nuntii de NN. sub occupatione Germanorum.

In parte Poloniae annexa Germaniae, Prov. Pol. Mai. habebat 6 Domus, ex quibus nulla ei iam remanet, cum tres ultimae exeunte mense septembri vel ineunte mense octobri clausae sint. Prov. Pol. Min. ex 3 domibus quas in hac regione habebat adhuc tenet 2 Paroecias, Tessini et Rudae in Silesia, ubi NN. laborem apostolicum lingua germanica exercere possunt. E domibus suppressis omnes Patres et Fratres vel in campos coactionis abducti sunt, vel vi decreti generalis in « Generalgouvernement » translati.

In parte Poloniae occupata a Germanis (s. d. « *Generalgouvernement* »), Provinciae Pol. Mai. remanent 3 Domus (*Varsaviae*: Residentia et Dom. Scriptorum, *Lublini*: Residentia), ita ut florens haec Provincia quae 16 domibus constabat, ad has tres practice redacta sit. Prov. Pol. Min. autem in hac parte adhuc 7 domus liberas habet. In ecclesiis huius territorii permittuntur: celebratio Missae, confessiones, et diebus dominicis explicatio Verbi divini. Omnes associationes piae a potestate civili solutae sunt. Nuntius SS. Cordis Iesu, qui diminuto volumine adhuc typis *Cracoviae* edi potuit, a mense iulio suppressus est; typographia vero nostra et officina librorum religiosorum obsigillata fuit die 8 iulii, dum Director Editionum Apostolatus Orationis, P. Stan. Bednarski, missus est in campum coactionis Oświęcim, unde postea in campum prope Oranienburg deportatus est. Etiam *Varsaviae*, typographia nostra et officina librorum clausae sunt. *Lublinense Coll. Max. Bobolanum* eiusque vastum praedium publicata sunt; pretiosa vero bibliotheca theologorum direpta et alibi translata est.

Viceprov. Romaniae. — Per occupationem Bucovinae Septemtr. Resid. Cernautensis venit sub dominium Russorum. Nostri omnes (3 Patres et 3 FF. Coad.) remanserunt, quod fidelibus magnae aedificationi et solatio fuit. Primo tempore omnia tum in ecclesia tum in Residentia modo consueto peragi potuerunt, imo Confessiones

erant plures et frequentia ad functiones sacras maior. Nunc autem ecclesia ad usus profanos applicata est.

Cum maior pars Transylvaniae Hungariae annexa sit, Resid. Satmarinensis et Claudiopolitana Provinciae Hungariae adscriptae sunt. Ita nunc Viceprov. Romaniae duas tantum habet domus: Totestensem Domum Probationis (ritus orient.) et Residentiam Bucurestiensem. Pro felici evolutione huius Viceprovinciae magna ex hoc exsurgit difficultas, quod maior pars catholicorum Romenorum (ritus orient.) — circa 1.200.000 — nunc in Hungaria invenitur, ubi nulla domus pro iis habetur; in Romania nunc tantum ca. 400.000 catholici Romeni (ritus orient.) numerantur.

Inter Polonos in Romania exsules laborem apostolicum et caritativum usque ad ultimos menses evolvebant: 4 nostri PP., sub directione Patris Skudrzyk, qui etiam nunc ut delegatus Nuntii Apostolici indefessam curam exsulorum Polonorum, qui in Romania remanserunt, habere non destitit.

Post recentem terraemotum nuntium accepimus omnes NN. salvos esse. Solum turris Bucurestiensis ecclesiae aliqua damna passa est, et P. Skudrzyk relinquere debuit domum religiosam ubi hospitabatur, ut alibi in tuto se collocaret.

ASSISTENTIA AMERICAE LATINAE

Generalia. — Dum praesens rerum status commercium litterarum retardat et impedit, Visitatorum auctoritate sunt praediti: R. P. Riou pro Provinciis Brasiliae; R. P. Travi pro ceteris omnibus Prov. et Viceprov. Amer. linguae hispanicae praeter Mexicum.

Prov. Argentinensis augmentum habuit hoc anno 35 sociorum. In regione Uruqueriensi novum Noviciatum erexit cum 26 Noviciis Scholasticis et 4 Coadiutoribus. Duas novas condidit Exercitiorum Domus Cordubae et Montevideo, et Centrum pro Universitariis in urbe Asunción Paraquariae principe. Seminarium Metropolitanum Bonaerense (Villa Devoto) frequentant alumni e 6 archidioecesibus, 11 dioecesibus et e 2 familiis religiosis.

Ob magnam personarum penuriam qua Viceprov. Peruviana (a Prov. Toletana dependens) premitur, Sucrense Collegium alumnorum, in Republica Boliviae situm, relinquere coacta est. Sed cum Summus Pontifex, id petente ipso Reipublicae Praeside, iusserit ut hoc Collegium a Societate denuo assumeretur, P. Generalis id commisit Provinciae Argentinensi, cui etiam tota regio Boliviae adscripta est.

Viceprov. Chilensis novam paroeciam accepit in suburbio Sancti Iacobi inter pauperrimos incolas. Prope hanc urbem nova Domus Probationis exstructa est in loco dicto Marruecos, in quam Novicii et Scholastici ex urbe Chillán terraemotu diruta translati sunt.

Bras. Centr. — In Rio de Janeiro, urbe principe Reipublicae Brasiliae, nuper erecta est *Universitas Catholica*. Em.mus Cardinalis Leme, sub cuius impulsione praesertim haec nova fundatio facta est, directionem Universitatis committi voluit Societati Iesu. — In eadem urbe prope nostrum Coll. S.ti Ignatii conditum est Sem. min. Societatis.

Prov. Bras. Merid. exsultavit triumphali pompa excipiens Reliquiam insignem Cordis B.ti Rochi González, quae ab urbe Buenos Aires ad locum martyrii, Caaró, deducta est, et inde rursus in suam sedem reducta.

Prov. Colombiana in dies maiores progressus facit, non obstantibus certis difficultatibus quae inde oriuntur quod varia Collegia proprietates erant Status. Nostri tamen ubique magni habentur, ita ut v. gr. in Bucaramanga ipsi cives novas aedes pro Collegio nobis exstruxerunt. Novum etiam Collegium erigitur in urbe « La Merced », et Coll. Max. NN. in Chapinero funditus renovatur. Pontif. Universitas Cath. Xaveriana in Bogotá semper ab omnibus plus aestimatur, et ipsi Episcopi ad Facultates nostras clericos suos mittere intendunt. Labores etiam sociales pro operariis optime evolvuntur, pro quibus, occasione IV[i] Centenarii, in ipsis Reipublicae Comitiis Societati gratiae actae sunt.

Prov. Mexicana, non obstante persecutione, quae tamen ultimis temporibus mitior facta est, alacriter opera sua evolvit; praesertim singularem curam habet de iuventute etiam Universitaria, sive per CC. MM. sive per alias Associationes. Notandum est omnes CC. MM. per voluntatem Episcoporum Actioni Catholicae associatas esse. Etiam Missio Tarahumarensis in dies florentior, mediis in difficultatibus evadet. Seminarium Montezumense, quod est Seminarium Centrale, voluntate S. Sedis erectum et Societati commissum, pro toto Mexico, sed extra fines, in Statibus Foederatis situm, alumnos numerat usque ad 400.

NUNTII E MISSIONIBUS

Africa. – Cum nostris missionariis Africae omne litterarum commercium pro tempore interruptum est. Via indirecta novimus in urbe **Leopoldville** (Congo belga), ubi laborant aliquot NN. e Missione Kwangensi (Belg. Mer.), die 5 octobris instauratum esse Collegium studiorum humaniorum, pro alumnis europaeis qui tunc 185 numerabantur.

Prox. Oriens. — In hac Viceprovincia vita NN. pergit modo fere consueto. Nonnulli Scholastici ex variis Provinciis, qui in patriam regredi non potuerunt, stud. phil. vel theol. inceperunt in Semin. Byrutensi, quod etiam aliis Seminaristis et Religiosis, similiter impeditis, aulas suas aperuit. In Seminario mai. adsunt 38 clerici, et in Sem. min. 65 alumni, omnes ritus orientalis. – P. Albertus Valensin, reversus e Missionibus Extr. Orientis, ubi magnum numerum cursuum Exercitiorum dedit Missionariis e variis Congregationibus religiosis, in Syria sacerdotibus diversorum rituum Exercitia spiritualia tradidit. — Noviciatum Bikfayensem ingressi sunt 5 Nov. Schol.

India Britannica et Ceylon. — Commercium epistolarum valde lentum et incertum est, et nonnisi viis indirectis fieri potest. Ita novimus missionarios, in India et in insula Ceylon, etiam PP. Italos, occupationibus suis consuetis libere vacare posse. — R. P. J. B. Moyersoen, Sup. Miss. Calcuttensis, pro tempore belli omnibus facultatibus Visitatoris pro India et Ceylon munitus est.

Sinae. — Ex variis nostris Missionibus sinensibus nuntii Romam perveniunt, qui in hoc calamitoso tempore magno sunt solatio; non quod ibidem pax et tranquillitas regnent, sed quia, quo magis crescunt difficultates, persecutiones, incendia et omnis generis aerumnae, eo abundantiores colliguntur fructus in vinea Domini. Ita v. gr. in Missione **Sienhsien** (Camp.), quamvis maior pars scholarum clausa sit et nonnullae ecclesiae igne destructae, numerus baptismorum adultorum hoc anno fuit 4772, quod est 956 plus quam anno praeterito. Numerus totalis christianorum augmentum habuit 4886, ita ut in illa Missione nunc adsint 61.464 Christiani, i. e. unus pro singulis 36 incolis. – In Missione **Taming** (Hung.) augmentum Christianorum est 1586 (a 39937 ad 41523), dum 6637 catechumeni se ad baptismum praeparant. Fere totidem (6000) habentur catechumeni in Missione nova **Kinghsien** (Austr.), in qua primo existen-

tiae anno baptizati sunt 2790 adulti. Inter illos eminent 300 viri pagi Tchoukiaho, ubi tempore Boxerum nostri PP. Mangin et Denn, una cum fere 3000 christianis crudeliter necati sunt; post horum 300 conversionem, totus pagus nunc est christianus, et magna pars pagorum adjacentium. — Maiores adhuc progressus nuntiat Missio **Süchow** (Can. Inf.), in qua augmentum est 7000, et numerus catechumenorum, qui ante bellum sino-japonense 1500 vel 2000 erat, ad 8000 crevit. Multum igitur laborandum et plus orandum est, ut mirabilis haec messis animarum cum divina gratia ad maturitatem perveniat.

In urbem **Pekin** translata sunt et in sede provisoria reconstituta, Laboratoria Musaei Hoangho-Paiho, a P. Aem. Licent (Camp.) anno 1914 in Tientsin erecti. Collectiones vero Musaei publici in Tientsin remanserunt, ubi statis diebus visitari possunt. — In eadem urbe Pekin **Domus Chabanel** pro studiis linguae sinensis laetos semper nuntios de seipsa mittere potest: mense iunii 33 studentes studia secundi anni expleverunt; per ferias dati sunt cursus aestivi 16 studentibus; mense autem septembris cursus secundi anni incepit cum 27 NN. et 14 Religiosis externis; sed ratione belli pauciores erunt in anno primo: praevidebantur 12 NN. et 10 externi.

Java. Unicus Episcopus missionarius, qui nuntium S. C. de Propaganda Fide de Visitatione ad Limina differenda non tempestive accepit, et quem hospitem in Curia hoc anno salutare potuimus, fuit EE. DD. Willekens, Vic. Apost. Bataviae. Negotiis in Urbe perfectis, via aerea in Missionem regressus est paucos dies ante bellum ab Italia initum. Die 25 iunii Summus Pontifex Vicariatum Bataviae dismembrans novum **Vicariatum de Semarang**, situm in parte centrali insulae Javae, erexit illumque Societati commisit. Die autem 1ª augusti Vicarius Apostolicus nominatus est P. Albertus Soegijapranata S. I., qui ita fit **primus Episcopus Iavanensis.** Natus die 25 novembris 1896, Collegium nostrum in Djokjakarta frequentabat, ibique ad fidem conversus est. Vocationi divinae generoso animo oboediens, ut in Societatem reciperetur instanter petivit, et voti compos factus, Novitiatum incepit die 27 septembris 1920 in Dom. Prob. Vallis B. M. V. in Neerlandia. Studiis in Prov. Neerl. et Tertia Probatione Truncinii in Belgio peractis, et interim die 15 augusti 1931 Traiecti ad Mosam Sacerdotio auctus, in patriam rediit anno 1933, ubi nunc munere parochi fungebatur ceu Minister Residentiae dependentis Djokjakartae, et Superiorem Regularem ut Consultor Missionis consilio juvabat. Consecrationem episcopalem pro Sede titulari Danabena accepit in Semarang die 6 novembris ab EE. DD. Willekens. — *Ad multos Annos!*

Japonica. – Die 5 martii 1940 Exc.mus D.nus Paulus Marella, Delegatus Apostolicus in Iaponia, librum Patris P. D'Elia (Neap.) « *Mappamondo del P. Ricci* » Imperatori Iaponiae nomine Summi Pontificis obtulit. Imperator, praeter solitum in his actibus indulgens et comis, donum non per suos ministros, sed suis ipse manibus accipere voluit, qua occasione amice cum Delegato de Summo Pontifice sermonem miscuit. Ephemerides in Iaponia celeberrimae Summi Pontificis donum et Delegati cum Imperatore colloquium magnis laudibus extulerunt.

Universitas Tokyensis vitam magis florentem in dies agit. Crescit alumnorum numerus, qui hoc anno 1.100 censentur, et benevolentia fruitur summorum Magistratuum reipublicae et aliarum Scholarum et Universitatum. Huius melioris conditionis complures sunt causae:

Melior comprehensio et applicatio opinionum et usuum iaponensium; professorum externorum auctus numerus et excellentia: periodicum « *Monumenta Niponica* », cuius 300 exemplaria sibi Instituta publica expostularunt; « Centrum Culturae », quod tertium iam annum homines cultiores congregat, disputationes apologeticas audire cupientes; « Institutum pro investigatione historiae Christianismi in Iaponia », quod ab eruditissimis hominibus in magno pretio habetur. Accedunt alia, quae ad hanc bonam existimationem etiam conducunt: Schola media in Kobe, cuius novi candidati fuerunt hoc anno 687, cum solum 150 novos alumnos accipere posset; et cuius informatio tam est accurata, ut eius alumni sine ulla difficultate in scholas Tokyenses transire possint; « Societas Studentium Catholicorum », quae iuvenes catholicos congregat Universitates 22 frequentantes; fabula dramatica « Gratia Hosokawa » a P. Herman Heuvers S. I., Universitatis Praeside, composita et in publico theatro Tokyensi magna spectantium admiratione et plausu exhibita.

Recentes tamen e Iaponia nuntii non mediocrem sollicitudinem incutiunt. Exc.mus DD. Ioannes Ross, Vic. Apost. de Hiroshima, munus deposuit et eius loco nominatus est Administrator Apost. P. Aloysius Akira Ogihara. Director Universitatis nostrae Tokiensis, loco P. Heuvers, creatus est P. Paulus Yachita Tsuchihashi, cui ceu Cancellarius Universitatis succedit P. Fr. X. Takasi Oizumi. Collegii in Kobe Director remanere potuit, quia natione Iaponicus, P. Felix Hayato Takemiya.

Missio inter Iaponenses in Brasilia, quam tanta sollicitudine dirigit in Bras. Centr. P. Guido del Toro, numerat 2003 Christianos, magna ex parte adulta iam aetate sacro baptismate regeneratos. Ad

Christi religionem amplectendam multos allicit educatio catholica in nostro Paulopolitano Collegio S.ti Francisci Xaverii, in quo 74 alumni convictores et 427 externi educantur.

NOVI SUPERIORES MAIORES

Praepositi Provinciarum:

Legionensis: R. P. Raimundus Calvo;
Lusitanae: R. P. Iulius Marinho.

Superiores Missionum:

Macaënsis (*Lus.*): R. P. Ioannes de Deo Ramalho.
Trincomaliensis (*Camp.*): R. P. Raimundus Vandenbussche.

NECROLOGIA

P. Thomas Finlay (Hib.) natus anno 1848, ingressus 1866, pie obiit die 8 ian. 1940. Fuit de Ecclesia, de Societate, de Patria meritissimus. Tribus praesertim muneribus earum commodo providit scribendo, docendo et pauperum et studentium bono consulendo. Libros de historia, de philosophia, de re oeconomica scripsit, periodica « Lyceum » et « New Ireland Review » suis commentariis illustravit. Pauperes in re sociali adiuvit meliorem rei agrariae ordinationem promovens; studia provexit coetui pro studiis mediis ab anno 1882 ad 1922 praepositus, bibliothecam rerum naturalium dirigens, in Senatu Universitatis nationalis per multos annos sedens.

Sed peculiare meritum illi adscivit munus docendi, quod annos 48 in Universitate Dublinensi gessit. Cum anno 1930 hoc munus ponere senio coactus est, ipse Reipublicae Praeses, Exc.mus D.nus De Valera conventui praefuit, quo Universitas professori emerito gratias retulit. Immo de perenni illius monumento in Universitate erigendo deliberatum est, quem honorem Pater declinavit, rogans ut summa in hunc finem collecta potius in bursam pro paupere studente fundandam impenderetur. Eius funus honestarunt Episcopi, Supremi Reipublicae Magistratus, Sacerdotes, laici quamplurimi, non modo catholici sed etiam protestantes.

P. Renatus Fraeys (Belg. Sept.). Die 15 aprilis quievit in osculo Domini P. Renatus Fraeys, 56 annos natus, quorum 36 in Societate Iesu, 18 Romae transegerat, omnium amorem sibi concilians. Sacris ordinibus initiatus ab Em.mo Cardinali Mercier anno 1917, Romam missus est expleto bello mundiali, ut Gregorianae Universitatis esset Minister; postea vero eodem munere in Curia Generalitia per undecim annos (1927-1938) functus est. Quod tanta caritate et prudentia praestitit, ut indolem et educationem, a parentibus acceptam et religiosis virtutibus expolitam, ostenderet. Quae quidem virtutes simul cum indefessa operositate maxime eluxerunt in rite paranda Domo pro Congr. Gen. XXVIII, anno 1938, et tempore eiusdem Congregationis quo, tot Fratribus Coadiutoribus apte distributis et directis, attente invigilabat ne quid Patribus deesset iisque semper hilaris praesto erat inservire, quemadmodum tunc complures Patres admirati sunt et illius gratam memoriam certo certius adhuc servant.

Ministri munere non impediebatur quominus multis iuvenibus academicis, alumnis praesertim et ex-alumnis Instituti « Massimo », a confessionibus esset et suis consiliis opem ferret, adeo ut Superiores illum huic Instituto ante duos annos applicandum censuerint. Sed ecce paucis post hebdomadis, mortali cordis aegritudine affectus, iterum in Curiam fuit reducendus, ubi novis aegritudinis ictibus non deterritus, cum primum per medicum licuit, iuvenes in valetudinario accipere aut eum per litteras consulentes dirigere perrexit.

Et iam videbatur eius valetudo ita roborata, ut speraret cito se in Institutum « Massimo » rediturum, cum novus et magis exitialis morbi impetus eum brevissimo tempore ex hac misera vita in aeternam transtulit. Funus comitati sunt non modo plurimi Patres ac Fratres e variis domibus romanis, sed plus centum iuvenibus, qui eum Patrem carissimum habebant.

P. Adalbertus Bangha (Hung.) Die 28 aprilis in pace quievit eximius Christi miles P. Adalbertus Bangha, quem Exc.mus Episcopus Glattfelder eius orationem funebrem pronuntians, cum clarissimo Hungariae apostolo Cardinali Pazmany conferre non dubitavit. Natus erat Pater e nobili familia Nyitrae anno 1880, ingressus in Societatem anno 1895, Sacris initiatus 1909, theologiae laurea insignitus Oeniponte 1911. Per annos tres (1923-26) Romae versatus est, Secretarius generalis CC. MM.: in Urbem rediit, ut elector Congr. Gen. XXVII et XXVIII; praefuit Residentiae Budapestinensi ab anno 1928 ad 1935.

Fuit orator insignis, cumque multas linguas calleret eisque uteretur ut propriis, potuit magna eloquentia de rebus sacris, scienti-

ficis, socialibus ubique perorare. Scriptor fuit etiam inexhaustus librorum, commentariorum, ephemeridum, ita ut eorum collectio 20 voluminibus contentum iri dicatur. Unus ex ultimis eius libris actuosam auctoris naturam vel ipso titulo ostendit: « Christianismus, animorum expugnator ». Ipse maximam tulit partem in redactione « Encyclopaediae Catholicae Hungaricae », « Historiae Ecclesiasticae » et aliorum operum. Infinitum esset persequi singula.

Illud erat insigne in hoc praeclaro apostolo, quod omni studio conabatur multorum animos ad laborandum excitare, suasque vires cum viribus aliorum coadunare, ad divinam gloriam efficacius promovendam. Virtutes duas ad hoc possidebat aptissimas: vim singularem organizandi et miram affabilitatem ad animos sibi devinciendos.

Cum necessarium duceret, ad fidem in Hungaria tuendam, optimas ephemerides catholicas possidere, iamdudum « Opus centrale preli catholici » instituerat et ab aliis fervidis Sacerdotibus et Religiosis adiutus duas magnas ephemerides, periodicum hebdomadarium et commentarium menstruum « *Magyar Kultura* » fundaverat. Regiones ipse lustrabat, de huius operis praestantia disserens, ut illud promoveret. Similem conatum in ceteris adhibebat. Actionem Catholicam, Congregationes Marianas, aliaque opera apostolica magna sedulitate adiuvit, ita ut in omnibus praecipuam ponderis partem in se susciperet.

Vix eius mortis nuntius est diffusus, innumera telegrammata ex omnibus regni partibus missa sunt, quibus Em.mus Cardinalis, Exc.mus Nuntius, Supremi Moderatores reipublicae, Praelati, aliique viri praecipui publicum dolorem expresserunt. Missam exsequialem in templo principi celebravit et orationem funebrem radio diffusam protulit Exc.mus D.nus Iulius Glattfelder, Episcopus Csanadiensis. Aderant Em.mus Cardinalis Primas multique primarii homines ecclesiastici et civiles. Eius exuvias circiter 5.000 hominum in coemeterium comitati sunt, dum alii 50.000 praetereunti adstabant detecto capite. Plurimi suffragia pro eo obtulerunt, multaeque consociationes catholicae ipsaque Comitia publica Patris virtutes et mortem cum laude commemorarunt. Quin immo ipse Summus Pontifex Pius PP. XII per Em.mum Cardinalem Secretarium litteras ad Exc.mum Nuntium dedit, significans quanto dolore afficeretur in morte tam praeclari religiosi, qui tot labores pro Ecclesia catholica, et ad vitae christianae incrementum verbo et scriptis toto vitae cursu vires ingeniumque impendisset.

R. P. Primitivus Sancet, Sup. Reg. Miss. Wuhuensis (Castell.), animam Deo reddidit in urbe Wuhu die 11 iunii h. a. Bene fuit de

Missione meritus, in qua ab anno 1921 strenue laborabat. Diversas Sectiones per annos duodecim (1924-1936) rexit; bis, absente Superiore Regulari, Vicesuperiorem egit (1930, 1933); tandem anno 1936 ipse Superior Regularis renuntiatus est, et in eo officio, magnas inter aerumnas et difficultates, usque ad mortem eximia pietate in Deum et paterna in suos subditos caritate, excelluit.

P. Georgius Payen (Franc.), natus in Nantes die 15 aprilis 1862, Societatem ingressus est die 5 octobris 1880. Ingenii acies et mentis celeritas, quae a iuventute in studiis apparebant, indicia fuerunt Providentiam eum ad Professoratum praedestinare. Revera, fuit Professor per totam vitam: philosophiae in Collegio Ebroicensi (1899-1901); theologiae dogm. in Universitate cath. Andegavensi (1901-1904); dein, per 34 annos (1905-39) theol. dogm. et simul per 31 annos (1909-1940) theol. mor. et iur. can. in Coll. Max. NN. et in Seminario Zikaweiensi in Sina. Insuper per 25 fere annos cursus dabat phil., iur. internat. et deontol. medic. in Universitate « Aurore ». Excellebat praesertim in theol. mor. et de hac materia eximios edidit libros. Magnam etiam partem habuit ceu consultor theologicus in primo Concilio nationali sinensi (1924).

Tot tantosque labores, nonobstante valetudine infirma, perficere potuit, quia in rebus disponendis ordinem tenebat, atque tranquillo animo se totus divinae Providentiae dederat. Scholas suas accurate paratas magna cum claritate dabat, non recusans (secundum antiqua nostrae Rationis Studiorum principia) theses repetere, Scholasticos interrogare, et res obscuriores iterum explicare, quia, ut dicere solebat, « thesis non repetita, thesis nulla ». Nonnisi oboedientia coactus a scholis dandis destitit, et die 29 iunii, labore et annis confertus, pie in Domino obdormivit. Ultima eius verba haec fuerunt: « In domum Domini ibimus », quibus gallice adiunxit: « On y sera bien mieux! ».

Exc.mus ac RR. DD. J. Bapt. Della Pietra (Veneto-Mediol.), natus in oppido Comeglians (archidioec. Utinensis) die 17 Oct. 1871, ex patrio Seminario Societatem ingressus est die 9 nov. 1892. Post sacerdotium philosophiae docendae addictus per triennium, ac dein peracta tertia probatione, obtinuit tandem quod vehementer optaverat, et in Missionem Albaniensem anno 1909 missus est, ubi per 27 annos indefessum operarium evangelicum se exhibuit, sive in ipsa (quam dicunt) Missione Excurrente per montes Albaniae, omnimodos inter labores, privationes, molestias, sive in Collegio Pontificio Scodrensi, quod bis rexit, sive demum ut Delegatus Apostolicus Albaniae, quod munus iussu Summi Pontificis invitus subire

debuit anno 1927, die 19 Martii illius anni Romae in templo S. Petri Canisii Collegii Germanici et Hungarici consecratus Archiepiscopus titularis Chalcedonensis. Anno 1936, ut petierat, dignitatem et munus atque etiam externa dignitatis insignia deposuit, et in suam Provinciam rediit, libera de se disponendi facultate Superioribus facta. Rector Domus probationis Leonicenae primum, dein Rector Seminarii Fluminensis renuntiatus, consuetam humilitatem et indefessam operositatem ubique portendit. Gravi morbo correptus, sereno vultu et gratias Deo agens placidissime in Domino quievit die 26 augusti 1940. Episcopus Fluminensis, qui eum plurimi faciebat et ut patrem venerabatur, sollemniter ei more Episcoporum parentalia peragere, eiusque funebre elogium e suggestu dicere voluit.

P. Marianus Morawski (Pol. Mai.), ut sacerdos saecularis, philosophiae et theologiae Laurea in Universitate Gregoriana insignitus, Societati nomen dedit a. 1917. Lector theol. dogm. Cracoviae, dein cum Collegio Maximo Lublinum translatus, simul in Universitate Cath. huius civitatis theologiam docuit. Mox autem ab Universitate Jagellonica Cracoviam revocatus, ibidem in facultate theologica munere docentis functus est usque ad suspensionem activitatis huius Universitatis a Germanis impositam. Die 9 nov. 1939 simul cum aliis 25 NN. e Collegio Cracoviensi in carcerem coniectus est; mense autem iunio 1940 Oswięcim in campum coactionis translatus, ibidem post diuturnum morbum omnibus dilectissimus Pater et Professor, candidam suam animam Deo reddidit die 9 sept. annos natus 59.

P. Ioannes Urban (Pol. Mai.), qui post longiorem morbum pulmonum paralysimque cerebri Cracoviae ipso die IV[i] Centenarii Societatis pie obiit, inter praestantissimos Poloniae Patres in ultimis decenniis habebatur. Natus a. 1874 in Brok ad Ostrów Mazowiecki, Societatem ingressus est iam sacerdos a. 1899. Examine ad gradum feliciter superato, professor theol. fund. nominatus est. Postea per tres annos (1907-10) ut Missionarius laborabat in Russia. Dein ut Scriptor Cracoviae et Varsaviae, atque ab anno 1918 ut Director periodici « Przegląd Powszechny » (Revue universelle), non parvam aestimationem hominum altioris culturae nactus est. Rerum Orientalium peritissimus, internationalibus Congressibus pro Unione Ecclesiarum (v. gr. Velehradii in Bohemia), non semel interfuit. Ad ideam Unionis promovendam defendendamque, appositum periodicum de rebus Orientis (« Oriens ») anno 1933 fundavit, atque cum optimo exitu usque ad invasionem Germanorum direxit. Initio huius anni, varia perpessus, in gravem morbum incidit, qui ad Paradisum eum conduxit.

P. Iosephus Boubée (Tolos.), natus Albi in Gallia die 8 dec. 1872, ingressus die 12 nov. 1889, ex improvisa paralysi cardiaca e vivis ereptus est die 26 oct. 1940, in primis Vesperis festi Christi Regis, cuius insignis fuerat promotor. Bis Apostolatui Orationis Moderator generalis delegatus praefuit (1908-1911; 1925-1928), et ab anno 1932 erat Secretarius generalis Cruciatae Eucharisticae. Iam diu inter Consiliarios Coetus Internationalis pro Congressibus Eucharisticis adlectus, eiusdem Coetus fuit plures annos Vicesecretarius generalis. Ad ipsos Congressus Eucharisticos Internationales proxime parandos saepe undique studioseque expetebatur, et mirum quantum laboris contulerit magna cum omnium satisfactione ad horum conventuum exitum felicissimum ubique fere terrarum, plurium ad id eum iuvante multarum linguarum peritia, quibus facile utebatur. Scriptor quoque egregius atque adeo bonus poëta, eximias has aliasque haud communes sui animi dotes in Dei servitium et gloriam unice mancipavit, optimus undequaque religiosus, sui demissione potissimum et effusa in omnes caritate vere insignis omnibusque carissimus.

Fr. Coad. Saturninus Aguirrebeña (Colomb.), natus anno 1891, ingressus 1909, vita cessit in Coll. Colombiano Pastensi die 29 febr. 1940.

Fuit hic Frater in eo Collegio Ludimagister et Praefectus disciplinae, quo munere tam sancte functus est, ut de communi dolore post eius mortem haec scribi potuerint: « Sensus quem eius mors in alumnis et in Nostris excitavit describi non potest. Numquam in morte Nostrorum talia signa doloris videramus. Alumni divisionis cui Frater moderabatur lugebant, ut si patrem aut matrem amisissent. P. Rector coactus est in eorum aulam venire, ut eos consolaretur. Omnes nunc clarius sentiunt quanti vita et mors sancti religiosi faciendae sint. Multi sacram Communionem pro eo obtulerunt aut Missas offerri iusserunt. Si res humanis tantum oculis spectes, Collegium in eius morte magnum fecisse detrimentum dixeris. Frater enim exemplar erat non vulgare Professorum, puerisque inspirabat pietatem solidam, laetam, practicam, qualem scilicet ipse habebat. Fuit etiam exemplar FF. Coadiutorum, ut omnes fatentur: serviendi studiosus, caritate fervens, vinculum pacis inter omnes nectens, oboediens ac diligens in omnibus sibi praescriptis ».

Eius funeri varia civitatis Collegia legatos miserunt et nonnullae ephemerides eius necrologium ediderunt.

VITA FUNCTI

A DIE 16 MARTII AD DIEM 31 OCTOBRIS 1940.

Romana: 15 aug. P. Silvius Fabbri (83/62) Roma.

Sicula: 7 apr. P. Vitus Marraro (86/70) Palermo.

Taurinensis: 29 maii P. Hector Luchini (80/46) Cuneo; 4 iul. P. Vincentius Neuhold (68/44) San Remo.

Veneto-Mediol.: 23 iul. C. Bernardus Dolci (70/47) Scutari; 26 aug. P. Ioannes B. Della Pietra (69/48) Fiume.

Austriae: ? ? S. Edmundus Richter (34/13) Wölmsdorf; 6 aug. C. Franciscus Krajnčić (88/64) Wien; 2 mart. P. Aloisius Menzinger (64/44) Kopenhagen; 6 apr. C. Iosephus Pistor (92/54) Feldkirch; 1 iun. S. Bernardus Wörmann (30/10) Münster; 14 iun. P. Iosephus Kramp (54/36) Frankfurt; 27 iun. C. Iosephus Janssen (75/58) M.-Gladbach; 4 iul. P. Alfonsus Wittlich (34/14) Kurtscheid; 10 aug. P. Michael Hausmann (73/53) Charlottenlund; 25 sept. P. Bernardus Stänner (75/43) Köln; 28 sept. P. Bartholomaeus Gmeiner (40/20) Tientsin.

Germaniae Orient.: 21 maii S. Alfonsus Andricki (25/6) *in bello*.

Germaniae Sup.: ? iun. P. Georgius Wirsing (80/44) Aschaffenburg; 9 iun. S. Antonius Wiehl (30/10) *in bello;* 21 iun. N. S. Iosephus Meier (21/2) *in bello;* 7 aug. C. Iosephus Seiler (37/14) Sangamner; 11 sept. C. Iosephus Rödle (39/17) Hartheim; 22 oct. S. Fridericus Böhm (41/21) Brandenburg.

Hungariae: 25 mart. P. Stephanus Komárik (85/63) Kalocsa; 29 apr. P. Adalbertus Bangha (60/45) Budapest; 4 iul. C. Stephanus Laczkó (55/32) Kalocsa.

Neerlandica: 10 apr. P. Cornelius van Meerendonck (68/46) 's-Gravenhage; 25 apr. P. Iacobus Schots (61/40) Semarang; 14 iul. P. Iosephus Roebroek (89/70) Nijmegen; 21 iun. P. Adrianus de Kort (37/15) *in mari;* 21 iun. P. Henricus de Groot (33/14) *in mari*; 17 sept. P. Alfonsus Vermeulen (65/41) Mariendaal; 15 oct. P. Ioannes de Lang (49/29) 's-Gravenhage.

Campaniae: ? mart. P. Stephanus Jacquart (57/38) Enghien; 26 mart. P. Carolus Godfroy (83/65) Fressenneville; 29 mart. C.

Paulus Mielo (52/30) Paris; ? maii S. Petrus Latour (30/11) *in bello;* 9 iun. S. Claudius Charvet (23/3) *in bello;* 10 iun. P. Henricus Dutouquet (76/48) Dijon; 12 iun. P. Paulus Maillard (31/13) *in bello;* 12 iun. P. Gerardus Merveille (31/13) *in bello;* 22 iun. S. Stephanus Catry (27/7) *in bello;* ? iun. S. Iosephus Hulin (28/10) *in bello;* ? ? P. Ioannes de Pontcharra (33/15) *in bello;* ? ? P. Hector Journel (74/55); ? ? S. Carolus Rogez (40/23); 31 iul. P. Ludovicus Poullier (75/56) Hauteville; 28 sept. P. Æmilius Hoppenot (62/44) Miss. Trincomal.

Franciae: 19 mart. P. Simon Zi (70/47) in Miss. Shanghai; 5 apr. S. Albertus Panon (24/7) Jersey; 5 apr. S. Christianus Le Bouteiller (27/7) Jersey; 5 apr. S. Carolus de Trogoff (26/8) Jersey; 18 apr. P. Augustus Baron (88/66) Vannes; ? ? S. Franciscus Xaverius de La Baume (26/7) *in bello;* ? maii P. Carolus Fleury (43/19) *in bello;* 13 maii S. Ioannes Guinoiseau (29/6) *in bello;* 26 maii S. Iacobus Lerolle (31/13) *in bello;* 28 maii C. Fridericus Guiot (95/65) Laval; 3 iun. C. Carolus Gschwend (76/46) Nantes; 29 iun. P. Georgius Payen (79/60) Shanghai; 9 iun. S. Petrus Toulouse (23/5) *in bello;* 9 iun. S. Iacobus Aragnieu (33/5) *in bello;* ? ? S. Ioannes M. Le Clec'h (24/5) *in bello;* 10 iun. S. Bernardus Gréhan (25/6) *in bello;* 12 aug. P. Iulius de La Vaissière (78/55) Jersey; ? ? P. Ludovicus de Montigny (38/11) *in bello.*

Lugdunensis: 6 apr. C. Iosephus Rahmé (50/32) Paray-le-Monial; 10 maii P. Augustinus Sabatier (85/60) Clermont-Ferrand; 17 iun. P. Iosephus Rousseau (85/64) Saint-Etienne; 18 iun. P. Vedastus de La Grandville (76/55) Saint-Etienne; 23 iun. P. Mauritius Tissot (64/42) Lyon; 2 iul. P. Victor Jacquemont (73/53) Marseille; 3 iul. P. Albertus Condamin (78/58) Lyon; 15 iul. P. Aloisius Laperrière (85/65) Tanail.

Tolosana: 25 iun. P. Aloisius Capelle (85/64) Bordeaux; 17 iul. P. Augustinus Couderc (74/46) Tananarive; 30 sept. P. Hadrianus France (56/37) Madura; 2 oct. P. Albertus Lebeau (62/45) Rose Hill; 10 oct. C. V. S. Antony (42/19) Palamcottah; 26 oct. P. Iosephus Boubée (68/51) Roma.

Aragoniae: 12 mart. P. Emmanuel Torrénts (66/51) Huesca; 29 mart. P. Franciscus Marxuach (66/47) San Miguel; 8 apr. P. Petrus Planas (74/59) Barcelona; 10 maii C. Zacharias Cremades (42/27) Valencia; 11 maii P. Petrus Lisbona (72/55) Za-

ragoza; 5 iun. C. Henricus Marrugat (72/53) Veruela; 26 sept. P. Ignatius Vila (81/53) in Miss. Philippin.; 30 oct. P. Ioannes Saderra (74/59) Veruela.

Baetica: 11 mart. P. Iosephus M. Villoslada (43/26) Granada; ? ? P. Richardus Cangas (83/59) Guayaquil; 19 iun. P. Iosephus Le Gouhir (70/51) Quito; ? oct. P. Iosephus Fischer (65/46) Quito.

Castellana: 7 iul. P. Prudentius Albéniz (64/43) Tudela; 12 iul. P. Primitivus Sancet (53/38) Wuhu; 14 iul. P. Iosephus Arilla (65/45) Loyola; 11 aug. P. Eustachius Ugarte de Ercilla (75/53) Valencia; 31 aug. P. Iosephus Arregui (38/22) Wuhu; 17 sept. S. Moyses Mendiburu (28/13) Shanghai; ? sept. C. Felix Eguiguren (30/6) Bilbao; 10 oct. P. Richardus Ponsol (62/45) Kinghsien; ? oct. P. Ioachimus Santillana (71/57) Montevideo.

Legionensis: 25 mart. P. Isidorus Encinas (40/24) Santiago; 2 maii P. Franciscus Prieto (89/48) La Guardia; 31 maii P. Maturinus Castro (50/35) Habana; 2 iun. P. Romanus Galán (41/26) Habana; 19 iun. C. Hadrianus Rodilla (27/10) Carrión de los Condes; 21 iun. C. Iosephus Esnaola (42/24) Habana; 25 iun. P. Vitalianus Morán (36/18) Palencia; 27 iul. C. Michaël Zubeldia (34/17) La Guardia; 26 aug. P. Rodulphus Moro Velasco (73/55) Murcia.

Lusitana: 8 mart. C. Ioachimus Rosete (72/44) Caldas da Saúde; 15 mart. P. Ioachimus Macedo (50/34) Braga; 10 aug. P. Ioannes de Azevedo Mendes (58/42) Barcelos.

Toletana: 15 febr. S. Adelardus Escudero (23/7) Chamartin; 18 iul. P. Iosephus Cano (82/59) Lima; 10 oct. C. Didacus Orenes (53/35) Villafranca de los Barros; ? oct. P. Emmanuel Gómez (65/42) Lima.

Angliae: 12 apr. P. Franciscus Woodlock (69/51) London; 19 apr. C. Daniel Shields (63/35) Rainhill; 20 apr. P. Patritius Dinley (67/47) Norwich; 13 maii C. Herbertus Bennett (45/26) Glasgow; 26 iun. P. Franciscus Grafton (64/47) Beaconsfield; 29 iun. P. Gulielmus Brand (66/47) Edinburg; 4 iul. C. Michaël Redmond (74/46) Liverpool; 27 iul. P. Iosephus Erhart (77/57) Salisbury; 30 sept. P. Gulielmus Crofton (83/62) Tremeirchion; 10 oct. S. Robertus Howarth (20/3) *Roehampton*.

Australiae: 14 maii P. Ioannes Corcoran (67/49) Melbourne.

Belgica Merid.: 10 apr. P. Aristides Forget (79/59) Fayt; 22 apr. P. Oliverius Deldime (70/50) Fayt; 15 maii P. Paulus Rigot (39/20) *Jemappes*?; 13 maii C. Ioannes Servais (59/37) *Ixelles;* 14 maii C. Bartholomaeus Heck (27/9) *Boussu-lez-Walcourt;* 19 maii S. Iosephus Dejemeppe (27/9) *prope Cambrai;* 19 maii C. Augustus Ledant (53/33) *prope Cambrai;* 21 maii P. Henricus Fallon (73/50) *Saint-Pol*; 23 maii P. Bruno Lefebvre (83/51) *Saint-Pol;* 23 maii P. Æmilius Mersch (50/33) *Lens;* 23 iul. P. Gabriel Druart (68/48) Calcutta; 12 sept. P. Leopoldus Mahiat (82/64) Brugelette; 9 oct. P. Iosephus Mazure (66/48) Tournai.

Belgica Sept.: 3 apr. P. Iosephus Merckx (50/31) in Miss. Ranchensi; 15 apr. P. Renatus Fraeys (56/36) Roma; 25 apr. P. Ferdinandus Collin (75/48) Antwerpen; ? ? P. Leonardus Van Malderen (45/27) *in bello;* 30 iul. P. Iosephus Van de Walle (72/54) Laval; 6 oct. C. Alphonsus Huyghe (75/42) Drongen; 30 oct. P. Iosephus Pauwels (71/54) Namur.

Canadae Infer.: 30 mart. C. Eugenius Jacques (83/65) Caughnawaga; 16 maii P. Carolus H. Beaulieu (34/13) Montréal; 11 iun. P. Gulielmus Longpré (60/38) Sault-au-Récollet; 1 aug. P. Oliverius Beaulieu (54/34) Sault-au-Récollet.

Canadae Super.: ? aug. S. Lester Foley (32/13) Montréal.

Hiberniae: 3 aug. P. Iacobus Rabbitte (84/55) Galway.

Californiae: 13 apr. P. Gulielmus Culligan (80/63) Santa Clara; 18 maii P. Henricus Gabriel (81/57) Santa Clara; 1 aug. P. Iacobus Taylor (70/47) Los Angeles.

Chicagiensis: 15 maii C. Augustus Weber (81/60) Cleveland; 25 maii P. Ioannes Mortell (62/44) Chicago; 22 iun. P. Ignatius Hamill (60/43) Detroit; 1 aug. P. Hermannus Elskamp (76/57) Detroit; 1 oct. P. Ioannes O'Connor (33/15) Mundelein.

Marylandiae-Neo Ebor.: 5 mart. P. Augustus Fremgen (60/43) Baltimore; 9 mart. P. Daniel Quinn (76/52) New York; 15 mart. P. Patritius O'Gorman (73/56) Washington; 5 aug. P. Paulus Conniff (69/48) New York.

Missouriana: 1 apr. P. Ioannes Coony (78/53) St. Louis; 7 apr. P. Placidus Sialm (68/46) Pine Ridge; 23 apr. C. Theodorus

Sturm (80/52) Pine Ridge; 28 iun. C. Ioannes Ward (81/35) Florissant; 20 iul. C. Theodorus Te Dorshorst (79/48) Kansas; 1 aug. P. Gulielmus Schierman (70/49) St. Charles; 5 sept. P. Augustinus Hackert (71/52); 21 sept. P. Stephanus Boyle (61/29); 22 sept. C. Henricus Billing (80/57); 14 oct. P. Aloisius Laur (66/50) Prairie du Chien.

Neo Aurelianensis: 5 apr. P. Timotheus Cronin (59/43) New Orleans; 17 apr. C. Gulielmus Cohnen (81/56) New Orleans; 30 apr. P. Edgar Bernard (79/62) Grand Coteau; 25 iul. C. Hilarion Castresana (80/54) Grand Coteau; 4 aug. P. Ioannes Power (63/40) Tampa; 2 oct. P. Eduardus Cummings (69/50) New Orleans.

Novae Angliae: 28 mart. P. Franciscus Driscoll (64/34) Boston; 21 iun. C. Andreas O'Reilly (77/58) Weston; 25 iun. P. Franciscus Goeding (87/69) Boston; 12 iul. C. Patritius Hagerty (80/51) Worcester.

Oregoniensis: 4 maii P. Ioannes McHugh (70/46) Seattle; 27 maii C. Bartholomaeus Chiaudano (70/50) Akulurak; 5 aug. C. Thomas Callahan (63/31) Medical Lake.

Bohemiae: 26 maii P. Ioannes Ev. Hrubý (52/27) Praha.

Jugoslaviae: 25 apr. P. Ioannes Pristov (69/42) Ljubljana; 15 iun. C. Iacobus Meglič (65/42) Travnik; 15 sept. C. Daniel Metinović (31/9) Zagreb.

Poloniae Mai. et Maz.: 25 mart. P. Henricus Grudzień (28/12) Warszawa; 9 apr. C. Ioannes Majewski (39/14) Łęczyca; 22 apr. C. Iosephus Wycislo (72/43) Warszawa; 23 iun. P. Antonius Kozubski (69/44) Warszawa; 9 aug. P. Marianus Morawski (59/24) *in campo*; ? ? P. Gabriel Wegliński (35/6) *in campo*; 21 sept. P. Ioannes Urban (67/41) Kraków; ? oct. P. Iosephus Konopiński (61/36) Kalisz.

Poloniae Min.: ? apr. C. Ioannes Pytlowany (72/47) Nowy Sącz; 29 apr. P. Iosephus Godaczewski (47/30) Kraków; 9 maii P. Victor Hoppe (76/44) Starawieś; ? iul. S. Henricus Curzytek (29/6) Kraków; 3 sept. P. Iosephus Cyrek (36/16) *in campo*.

Argentinensis: 14 mart. C. Angelus Bozal (77/61) Córdoba; 15 aug. P. Firminus Gargallo Arnau (77/53) Buenos Aires.

Brasiliae Centr.: 4 apr. P. Edmundus Monsaert (61/40) Rio de Janeiro;

Brasiliae Merid.: 27 apr. P. Iosephus Angehrn (62/41) Santa Maria; 20 maii P. Petrus Bucher (88/69) Pelotas.

Brasiliae Sept.: 26 apr. P. Franciscus Barcelos (77/59) Pará; 30 maii P. Cosmas Rodrigues (67/39) Bahia; 22 iun. P. Aloisius Chéseaux (63/42) Recife; 23 iun. P. Emmanuel Martins (82/65) Bahia; ? oct. C. Alexander Monteiro (80/48) Bahia; ? oct. C. Iosephus da Silva (75/43) Bahia.

Colombiana: 29 febr. C. Saturninus Aguirrebeña (49/31) Pasto; 23 mart. P. Marcus Antonius Restrepo (74/53) Cartagena; 25 apr. C. Apollinaris González (77/49) Medellín; 12 maii P. Richardus Calderón (67/46) Bogotá; 20 iul. P. Vincentius Larrañaga (61/45) Cartagena.

Mexicana: 25 mart. P. Eliseus Ancira (67/46) Mexico; 12 apr. P. Gabriel Ortiz (75/39) Mexico; ? ? C. Theodorus Gómez (53/37) Habana.

R. I. P.

INDEX

ROMAE - TYPIS PONT. UNIVERSITATIS GREGORIANAE